



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Virtus infracta in periculis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

jam effrenis, altiùs in æthera se librans, inter sidera est constitutus; quem ubi vidit Aurora, cum impetravit à Jove, ut ab illo vecta quotidianum conficeret cursum.

### Ethica.

I. (a) Dedit Bellerophon locum adagio: Βελλεροφόντης τὰ γράμματα, *Bellerophonis litteræ*; nempe commendatitiæ, ferenti perniciosæ, quas vulgò *litteras Vria* vocant. Nam cum eximiæ tam formæ, quam castimonie juvenem *Stenobaa Præti* Argivorum regis uxor deperiret, & nequicquam ad flagitium invitaret, dolore repulsæ, (ut in Sacra historia de *Iosepho* legitur) indignata, adolescentem, quamvis innocentem viro accusavit tanquam insidiatorem castitatis suæ. Quem cum rex iure hospitij permotus nollet interficere, cum litteris eum ad *Iobatem*, Socerum misit, quibus occidendi Bellerophontis negotium illi dabat. Jobates cum suo scelere, tum alieno imperio impulsus, aggreditur adolescentem (ut minimè suspicax est innocentia) honestò titulò perimere. Est enim ferè malorum hic Principum mos, pallium sceleri quære-re, quod Saul cum Davide, & hic eum Vria fecit. Igitur adolescentis inflammat animum, suapte sponte ferocem ad periclitandas vires, gloriàmque parandam: etque persuadet, ut cum Chimera congrediatur, monstro, ut dixi, triformi, & omni circum regioni terrorem incutienti. Hanc Bellerophontes, equo insidens alato, telo confixit, confecit-que. Post alijs atque alijs periculis objecit juvenem Jobates, ex omnibus victorem redeuntem cum videret, admiratus ejus fortitudinem, & ex eventu conjectans innocentiam, litteras Præti ostendit, malitiosè ac perfidè scriptas; atque tantum potuit æstimatio virtutis, ut filiam, quam habebat unicam, egregiæ formæ ac pudicitie puellam, ei desponderet, generum adscisceret, & regni post se successorem. Adeò virtus fluctuare quidem potest, mergi non potest; sicut palma; *pressa resurgit*; Interrita est in periculis, infracta malis, invicta adversis, calamitatibus inexpugnabilis; ad laborem impigra, ad pericula fortis, ad consilia prudens, ad casum fortunamque felix. Virtuti vires ab hoste crescunt.

Duris ut ilex tonsa bipennibus  
Nigræ feracis frondis in Algido  
Per damna, per cædes ab ipso  
Ducit opes, animùmque ferro.

Q3

Gratior

(a) Virtus infracta in periculis.

Gratior est ei victoria sanguine parta; neque nescit majora periculis esse præmia; atque ut hæc desint, sua laude contenta, ipsa sibi sufficit. Verum est illud

Serpens, sitis, ardor, arena

Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.

Latius est, quoties magno sibi constat honestum.

Huc facit & illud alterius Poëtæ:

Quamlibet è medijs confurgunt lilia spinis;

Sic virtus ipsis crescit, ovâtque malis.

Cujus rei luculentum documentum Bellerophontes exitit, cui innocentia fiduciam, fiducia fortitudinem, fortitudo felicitatem peperit. Initium ei victoriæ Sthenobæa fuit, hoc est, mulier in omne flagitium parata; quam ubi superavit, potuit cum Chimæra depugnare: dubites, ultra palma fuerit difficilior, ultra clarior: nam mulier lasciva, opibus ac potentiâ subnixâ etsi blandior sit aspectu; est tamen ferocior insultu, nisi cedas volenti. Bellerophontis imagini symbolicè subscribas: *Vis & Virtus.*

II. (b) Quid est, quod *Pegasus*, ingenij ac eruditionis symbolum, ex horrido Medusæ capite, tabe fluente, ortum duxisse feratur? Difficilia sunt nimirum, artium omnium, præcipuè ingenuarum, initia, & horrorem incipientibus afferentia. Hoc videmus in puerulis prima litterarum Rudimenta auspicantibus; quot nominum inflexiones, verborum conjugationes, generum discrimina sunt addiscenda, tot istis videntur Medusæ capita horrendo obtutu occurrentia. Deinde *Pegasus* unguâ percussit terram, & fontem produxit *Castalium*, Musis consecratum; ut intelligas, pulsu & percussu, hoc est, labore ac contentione bonas extundi artes; meritoque Sapiencia ac doctrina fonti comparatur à Salomone Prov. 18. *Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons sapientia.* Et Siracides c. 21. *Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius, sicut fons vita permanet.* Ubi notandum, quod fons suam concham primò impleat, deinde exundantem aquam diffundat, & cum alijs communicet: Sic & Sapiens primò mentem suam, deinde aliorum sapientiâ imbuit, juxta illud S. Bernardi: Ductor sit concha, non canalis, qui nihil aquæ retinet, sed totum, quod recipit, effundit. Equidem sicut aqua terram, plantas, animalia, homines sitientes irrigat, saturat, inebriat, vivificat, lætificat, fecundat; ita Sapiencia mentem pulcherrimarum rerum cognitione ditat,

(b) *Pegasus imago Sapientia.*

tat,